



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

26. Quod Apostolicæ, &c. Sanctissimi D.N.D. Benedicti Papæ XIII.
Apostolicæ literæ in forma Brevis ad Magistrum generalem ordinis
Prædicatorum. Quibus, inhærendo Constitutionibus Pauli III. S. Pii V. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANNO
1726.

cunque causas, lites, seu controversias, inter Fratres de Observantia, & Reformatos prædictos super præcedentia præfata ubilibet, & coram quibusvis Judicibus quomodolibet moras, ac pendentes, ad Nos harum serie avocamus, illaque penitus, & omnino extinguimus, ac suppressimus, & perpetuum desuper silentium imponimus. Utque deinceps idem usus, ac mos, qui in Urbe præfata, ac alibi inter Fratres de Observantia, & Reformatos servatur, ac retinetur, in universa Italia observari, & retineri debeat, quod scilicet dicti Fratres de Observantia ubique in Processionibus, aliisque actibus, tam publicis, quam privatis digniorem, & honorabiliorem locum obtineant, ac ipsos Fratres Reformatos præcedant motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus tenore præsentium statuimus, & ordinamus; Distinctè in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub excommunicationis majoris lata sententiæ, eo ipso per contrafaciendum incurrenda poena omnibus, & singulis Fratribus Reformati Ordinis prædicti nunc, & pro tempore existentibus inhibentes, ne deinceps super præmissis, eorumve occasione Fratres de Observantia hujusmodi molestare, inquietare, perturbare, aut quoquomodo impedire audeant, vel præsumant. Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacunque auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Locorum Ordinariis per præfatos motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel eorum quilibet per se, vel alium, seu alios ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum de Observantia fuerint requisiti, eis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate Nostra præmissa, juxta præsentium continentiam, & dispositionem observari: Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per sententias, censuras, & poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus dictis Gregorii Prædecessoris literis, ac Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsto non tollendo, aliisque quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, ac Fratrum Reformatorum prædictorum, illorumque Conventuum, Domorum, & Locorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis, clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam per modum statuti perpetui, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro eorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum,

nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliâs in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, & ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quod præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides, tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die decimâ quartâ Februarii millesimi septingentesimi vigesimi sexti, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Cardinalis Oliverius.
Locus † Annuli Piscatoris.

SANCTISSIMI D. N. D.
BENEDICTI PAPÆ XIII. XXVI.
APOSTOLICÆ LITERÆ IN FORMAM BREVIS
AD MAGISTRUM GENERALEM
ORDINIS PRÆDICATORUM.

Quibus, inhærendo Constitutionibus Pauli III. S. Pii V. Alexandri VII. & Clementis IX. nec non Proposito ac menti Innocentii XII. Conventus quicumque spectantes ad Congregationem S. Sabinae curæ ac regimini Provincialis pro tempore Provinciae Utriusque Lombardia, sub opportunis iisque sanctissimis Institutis inviolabiliter, ac perpetuò observandis, de Plenitudine Potestatis subjiunguntur: eidem Provinciae restituuntur, ac uniuntur: atque in novam Provinciae ipsius Regionem erigendi decernuntur: in Regularis Observantiae incrementum.

Dilecto Filio Thomæ RIPELLI Ordinis Fratrum Prædicatorum Magistro Generali.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam benedictionem.

Quod Apostolicæ sollicitudinis officium ad propagandam Regularem disciplinam omnibus Religiosorum Ordinibus libenter impendimus, decet Nos inlyto Prædicatorum Ordini, & Provinciae præsertim Lombardia tantò libentius, & alacrius persolvere, quantò gratiori memoriâ animoque illius in Nos merita recolere consuevimus; in qua scilicet sacrum Religionis habitum per ipsos adolescentis ætatis annos suscepimus, & Prædicatorum Institutum expressè professi sumus. Neque verò sola præcipui amoris incitamenta Nos excitant, ut nostræ auctoritatis opem ad cultum, & incrementum meritissimæ familiæ conferamus, sed suo veluti jure

ANNO
1726.14. Febr.
1726.

A N N O
1726.

dilectissima Provincia operam nostram deposcit; ut quæ Nos diu doctrina, & Religiosis moribus aluit, ac Sanctissimis Institutis ad Apostolicas curas informare conata est, fructum qualemcumque impensi laboris cepisse videatur. Maternæ igitur sedulitati vicem Paternæ caritatis reddere cupientes, nihil omittere debemus, quo uberius fructificet suavitate odoris, & observantiæ salutaris vitæque perfectioris exempla latius per universam Provinciam dilarentur, opportunisque Providentiæ nostræ legibus firmis muniantur. Porro Sanctus Pius V. Antecessor noster, qui Prædicatorum Ordini in eadem Lombardiæ Provincia nomen dederat, Constitutioni fel. record. Pauli Papæ III. sui nostrique Prædecessoris inhærens, per Apostolicas literas die vig. sima Martii anno 1567. datas, Romanum Conventum Sanctæ Sabinæ una cum omnibus juribus, ac bonis ante dictæ Provinciæ adnexuit, & incorporavit. Quoniam verò Generalia ejusdem Ordinis Comiticia decreverant, ut per singulas Provincias in uno saltem Cœnobio exacta Regulæ disciplina integrè rigideque, illæsa tamen Prioris Provincialis auctoritate, eique debita subjectione, vigeret, & felicitè record. Prædecessores nostri Alexander Papa VII. & Clemens PP. IX. arctioris hujus observantiæ in ante dicto Conventu Sanctæ Sabinæ palæstram, & domicilium collocarunt; ut tyronibus in ea severiori exercitatione institutis, imitanda virtutis exempla per universam Provinciam diffunderentur. Neque tamen Provinciæ & Provinciali Lombardiæ quidquam juris, & auctoritatis detractum est; ut in Apostolicis ipsorum literis, illis præsertim, quas laudatus Clemens IX. dedit die 21. Maii anno 1669. perspicere licet. Igitur Domino dante benignitatem terra illa dedit fructum suum, & Provinciali suo plenè subiecta Provincia Lombardiæ tam in Conventu Sanctæ Sabinæ, quam in aliis strictiori Observantiæ dicatis, Summorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum consiliis, & optatis Comitiorum Generalium respondere perrexit; donec sub Innocentio XII. fel. itidem rec. Prædecessore Nostro exempta ab omni jurisdictione Prioris Provincialis Congregatio erecta est Sanctæ Sabinæ, eique aliis nonnullis attributis Conventibus, proprius Vicarius præpositus est à Generali Ordinis Magistro singulis biennis eligendus; ut in Apostolicis Literis, quas anno sui Pontificatus quarto dedit, fusiùs explicatur. Votis tamen ejusdem Pontificis Observantiæ latius dilatandæ, exitus minime obsecundavit. Floruit enim Regularis disciplina, & Sanctæ Sabinæ Congregatio optimis exemplis Religiosæ virtutis abundavit; sed per novam illam regiminis formam potius intra Congregationis fines conclusa, quam ad totius Provinciæ utilitatem amplificata Observantia est. Nos proinde diuturna longi temporis experientia edocti, atque ad propagationem non minus, quam conservationem purioris disciplinæ animum intendentes, Constitutionibus Antecessorum nostrorum Pauli Tertii, Sancti Pii Quinti, Alexandri Septimi, & Clementis Noni, & ipsius etiam Innocentii Duodecimi Proposito inhærentes, nec non desiderii, & conatibus Comitiorum dilectissimi Ordinis suffragantes, post maturam deliberationem, & collata consilia cum Viris zelo, prudentiæque commendatis, per Apostolicas hæc nostras in forma Brevis literas perpetuò valituras, præcipimus & mandamus, ut strictâ Observantiâ firmâ permanente in Conventibus inferiùs exprimentis, salvisque Regulis, quas pro munienda, propagandaque observantia in ante dicta Provincia Lombardiæ præscribendas duximus, auctoritati, jurisdictioni, vilitationi, correctioni, curæ & Regimini Prioris Provincialis Lombardiæ pro tempo-

re existentis omnino pareant, & subiecti sint una cum omnibus bonis, juribus & pertinentiis suis, Conventus & Fratres in ipsis commorantes, videlicet: Sanctæ Sabinæ Romæ, Sancti Dominici Ravennæ, Sancti Dominici Ferrariæ, Sancti Dominici in Urbe Sancti Severini, S. Catharinæ in Trino Diocesis Casalen. & qui positi sunt Auximi, Casenæ, in Lugo, in Meldula, in Bonifacio, una cum altero in eadem Insula Corsica constituto; perinde ac si nunquam Apostolicæ literæ ejusdem Innocentii Duodecimi, aliæque Constitutiones editæ fuissent, quæ enumeratos Conventus ab auctoritate, ac jure Prioris Provincialis Lombardiæ, aut cujuscumque alterius Provincialis subduxerunt: quibus & aliis in contrarium quomodolibet facientibus de plenitudine potestatis per has præsentis literas amplissimè derogamus: Pro conservanda verò, ac dilatanda per totam Lombardiæ Provinciam severiori disciplina, hæc Regulas præscribimus, atque ut perpetuò serventur, districtè præcipimus, & mandamus. I. Vita communis, & rigor Observantiæ Regularis, qui tam in Conventu Sanctæ Sabinæ, quam in aliis superiùs expressis in præsens vigeret, perpetuò retineatur, & quam fieri potest maximo perfectionis studio custodiatur, & observetur. II. Cum Provinciales pro tempore ad visitandos eosdem Conventus se conferant, neque ipsi urantur Regulæ remissionibus, ac dispensationibus, neque illas sociis suis permittant, quæ consuetæ eorumdem Conventuum vitæ adversentur. Ipsorum enim exempla cæteris esse debent vivendi norma. III. Ita quoque se gerant Visitatores, si qui forte ad supplendas Provincialium vices destinabuntur: & Commissarii omnes, qui ad Conventus ante dictos quacumque de causa perrexerint. Ejusmodi autem vices, & commissiones non demandentur, nisi Fratribus zelo, & gravitate præditis, atque erga Regularem Observantiam optimè animatis. IV. Cum Provincia Lombardiæ in plures Regiones, quas Quarteria appellant, partita sit, singulis autem Regionibus Vicarius præsit, qui absente Provinciali, subiectis sibi Conventibus advigiler proficiatque; Nova Regio in eadem Provincia constituitur, Sanctæ Sabinæ nomine nuncupanda, in qua memorati Conventus comprehendantur, eique à Provinciali Vicarius præficiatur, qui tamen semper in aliquo ex novæ Regionis Conventibus commoretur. V. Tyrocini Domus, sive Novitiatus purus in eodem Conventu Sanctæ Sabinæ conservetur pro tradendo Religionis habitu, ea prorsus ratione, quæ, ad normam Decreti fel. record. Alexandri Septimi, fuerat ibidem constitutus antequam Conventus ille à Provincia separaretur. Provinciales autem pro tempore, quoad ejus fieri poterit, curent & fatigant, ut quot in Novitiatu Cellæ sunt, totidem Tyrones in anno probationis ibi exercendos, destinent & adsignent. VI. Quoniam Affiliationes, quas vocant, strictiori disciplinæ laudatissimi Ordinis non adversantur; immo potius valde conducunt, ut Religiosi Observantiæ cultores retineantur in Conventibus, quibus per affiliationem fuerint adscripti, volumus & mandamus, ne quis in posterum ad habitum in nova Regione admittatur, nisi certo Conventui per affiliationem adscribatur, ejusdem quidem Regionis, si fieri possit, aut saltem Provinciæ, si tanto Religiosorum numero ejus Regionis Conventus abundant, ut novis affiliationibus locus esse non possit. Qui verò sine affiliatione ulla hæctenus in Congregatione admissi sunt, illis Conventibus per affiliationem incorporati intelligantur, quibus in præsens assignati inveniuntur. Præterquam si quis, antequam Congregatio erigeretur, per affiliationem jam fuisset alicui ex Conventibus sive hujus Regionis, sive Provinciæ affixus,

A N N O
1726.

A O N N
1726.

cui semper affixum remanere decernimus; graver interdentes tam admittis, quam admittendis, ne sine expresso Apofolico Beneplacito affiliationem suam ad Conventus alterius Regionis aut Provinciae transferre valeant. VII. Juniores Religionis professi in Conventu Sanctae Sabinæ, sive in aliis Conventibus ejusdem Regionis, in qua probationis domicilia fuerint benedicente Domino, utcumque multiplicata, ad colenda studia in solis ejusdem Regionis Conventibus assignentur. VIII. Methodus autem assignandi Studiorum causa juniores in nova hac Regione professos, diligentissime teneatur, ac servetur per annos saltem quinque ab emissa professione numerandos, quo temporis spatio minime liceat Priori Provinciali ad alterius Regionis studia eosdem destinare, nisi quis fortasse ægrâ valetudine impar evaserit rigori Observantiae diutius ferendo; tunc enim Prior Provincialis, quod factum opus erit, pro sua prudentia decernet; modo tamen causa infirmitatis probata sit testimonio subscripto, & jure jurando firmato à Fratribus Consilii illius Conventus, cui Professus valerudinarium assignatus est. IX. Ut quæ de Studiorum domicilio præscriptimus, firmius consistant, non solum studia, quæ Materialia dicuntur, in nova regione stabiliantur; sed Formale etiam, quod appellatur, Studium in apto Conventu constituatur, in quo juniores triennale curriculum studii Theologici formalis explere possint, atque ad gradum Lectorum se rite comparare. In studio tamen Generali Bononiensi tam ad Studium formale, quam ad Lectoris gradum, secundum communes toti Provinciae leges, examinentur & approbentur. X. Ubi studium formale novæ Regionis idoneo numero fuerit instructum ad formam cæterorum Provinciae studiorum formalium; quemadmodum etiam ubi studii materialibus suis non deficit Studentium numerus; liceat quidem Priori Provinciali alios ultra numerum redundantes aliis studiis, præsertim formalibus Provinciae assignare; si tamen in hisce aliis Conventibus Observantia vigeat per Sacram Congregationem Disciplina Regulari præpositam approbata, ac simul qui assignandi sunt per integrum saltem quinquennium in observantia suæ regionis exerciti fuerint, & confirmati. XI. Pro studiis ejusdem Lectorum non designentur, nisi qui in eadem nova Regione habitum Ordinis induerint, atque in ea educati, & instituti sint. Quod si aliquando peculiaris causa postulet, ut ex alia Regione Lector assumatur, non aliter fieri liceat, quam si Lector ipse per integrum saltem annum jam antea laudabiliter vixerit in Conventibus novæ Regionis, sique propenso studio erga observantiam affectus. XII. Priores Provinciales pro tempore operam libenter conferant, ut qui in aliis Provinciae Conventibus educati sunt, ad studia novæ Regionis volentes transfiant, curentque pariter, ut cæteris quoque fratribus cujuscumque conditionis aut gradus aditus pateat, si qui observantioris vitæ desiderio impulsus, ultra se ad novam Regionem transferre voluerint. XIII. Sub pœna nullitatis nemo eligatur, aut electus confirmetur in Priorem, aut quocumque titulo in Superiorem eorumdem Conventuum, qui habitum non susceperit, ac simul educatus non fuerit in hac nova Provinciae Regione; aut saltem in eadem per quadriennii spatium antea non vixerit, ac sui pro observantia studii zelique speciem idoneum non præbuerit. Quod in Magistris etiam Novitiorum tam simplicium, quam Professorum eligendis, ac præficiendis observetur. XIV. Hujus novæ Regionis Alumni, qui in illa habitum, atque institutionem acceperint, pro quovis provincia Conventu eligi, confirmari & institui Priores

possint, atque ad Lectoris, superioremque alium quemcumque gradum provehi, etiam in Generali Studio Bononiæ; nec non ad prædicandi verbi Dei, & alia quælibet munera, præsertim verò ad gravissimum Magistri Novitiorum tam simplicium, quam professorum officium; ut Zelo, exemplo, ductuque suo per totam Provinciam observantiae cultum diffundat, & augeant; quod est præcipuum nostræ sollicitudinis propositum, in hisce Capitulis faciendis; quæ perpetuò, & inviolabiliter observanda præcipimus sub pœna indignationis nostræ, aliisque nostro, & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis adversus eos, qui illa vel in totum vel ex parte violare præsumperint. Has igitur præsentis in forma Brevis literas, & quidquid in iisdem præscriptimus, firma & valida semper mansura decernimus, & ab illis, ad quos spectat, inviolabiliter observanda; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane esse, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsitò non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim antedicti felic. record. Innocenti Papæ XII. nec non Ordinibus, Congregationibus, & Conventuum hujusmodi, aliisque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis, etiam ejusdem Ordinis Congregationibus, & Conventibus, eorumque personis quibuscumque ac sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plerè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides adhibeatur, quæ ipsis Originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Collatâ itaque Zeli tui sedulitate, atque in mandatis nostris capeffendis, & obeundis alacritate, ac vigilantia, plenè confidimus, fructum Paternæ sollicitudinis pro severioris disciplinae incremento votis nostræ caritatis esse responsurum. Ac Tibi, Dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die v. Junii 1726. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Carolus Archiep. Emissenus.

Loco † Annuli Piscatoris.

A N N O
1726.5. Junii
1726.

ANNO 1726.

Cum ad D. N. BENEDICTI XIII. notitiam pervenerit Bullam que incipit Ratio Apostolici ministerii in favorem Tertiariorum ordinis Capucinatorum emanatam anno 1726. nono Kalendas Junias, non esse insertam in Bullario quod Luxemburgi imprimitur, ideo sua sanctitas injunxit Em. D. Card. Secretario status, curam dare Illustrissimo Domino NUNTIO BRUXELLENSI ut dicta Bulla apponatur, prout constat ex sequenti Copia.

Copia Epistolae Eminentissimo Domino Cardinali Secretarii Status, ad Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Nuntium Bruxellensem 26. Novemb. 1729.

Cum notitiam habuerimus Luxemburgi actualiter imprimi Bullarium in quo supponitur non inserendam hic junctam Bullam (Ratio Apostolici ministerii) in favorem Tertiariorum ordinis Capucinatorum emanatam, & quia reflectitur ex tali omissione posse dari pretextum impugnandi subsistentiam dictae Bullae, que sicut omnes alia S. Domino nostro in corde est, & omni sua autoritate munita; sua sanctitas mihi injunxit J. D. V. curam dare procurandi ut dicta Bulla in editione facienda, uti & in omni altera in dictis partibus imprimenda, inseratur, imo recurrendo (si opus fuerit) ad autoritatem Serenissimae Archiducissae, suorumque ministrorum interea J. D. V. hac exequatur cui & auro &c.

Haec copia concordat cum suo transcripto authentico mihi concessio ex Secretaria status, ac penes officium conservando, in cujus fidem: Romae 10. Decembris 1729.

Signatum erat
FR. MAXIMILIANUS WANGHEN:
Assr. Provinc. German. ord.
Capucinatorum.

Locus + Sigilli.

XXVII.

Pro Tertiariis Ordinis Fratrum Minorum beati Francisci, qui Cappuccini appellantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Summus Pontifex discordias ex regularibus evellit.

Ratio Apostolici ministerii, nobis, licet immeritis, à Christo Domino juncti, exigit, ut litigia & discordias, quae humani generis hoste zizania superfeminante, Ordines regulares, ad coelestium meditationem incumbentes, aliquando perturbant, omni cura evellere studeamus, ne Dei cultus in facris viris frigeat, inque animis secularium, qui eos inter se dissidentes conspiciunt, scandala propterea exoriantur.

II. Constitutio pro Tertiariis Minorum observantiam ad Tertiarios

Nuper admodum in Tertiariis, de Penitentia appellatis, sub regimine Fratrum Minorum beati Francisci, alias à regulari observantia nuncupatorum, viventibus, spirituale sola-

tium, & pietatis fervorem augere studuimus Apostolicis litteris nostris, quae incipiunt: Paterna Sedis Apostolica providentia, Romae vulgatis anno Domini MDCCLXXV. IV. idus Decembris, Pontificatus nostri anno secundo, quibus litteris immunitates, gratias, privilegia & indulta, ab antecessoribus nostris Romanis Pontificibus eidem Tertiariis concessa, renovavimus & confirmavimus, si alacrius & sanctius Deo famulari pergerent. Sed postea non sine admiratione atque animi nostri molestia interortas altercationes audivimus, eisdemque nostras litteras, quae unos Tertiarios, Fratribus Minoribus, à regulari observantia nuncupatis, subiectos respiciunt, contra mentem nostram ad alios Tertiarios, sub regula quidem beati Francisci Deo famulantes, sed speciali nota dignos, inque iisdem litteris nostris minime nominatos, aut comprehensos, perperam detortas fuisse intelleximus: qui sane Tertiarii Fratribus Minoribus, à regulari observantia nuncupatis, nullo modo subsunt; sed Ministro generali Ordinis Fratrum Minorum beati Francisci, qui Cappuccini appellantur, à quo, & ab ejus secundariis Ministris, in rebus spiritualibus directi, omnino dependent, atque habitum religiosum accipiunt.

Propterea huic errori & incommodo pro nostra auctoritate & sollicitudine prospicere cupientes, eorundem Fratrum Minorum beati Francisci, qui Cappuccini appellantur, jura & privilegia, saepe in iudiciis contradictoriis coram venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, consultationi de rebus Episcoporum & Regularium praepositis, plenè discussa, pontificioque oraculo, ac litteris Apostolicis à felicis recordationis Clementis Papa XI. antecessore nostro confirmata atque approbata, nos praesentibus, perpetuum robur imposterum habituris, post maturam deliberationem, motu proprio, & ex certa scientia, ad tollendas quascunque discordias, iterum munimus & approbamus, confirmantes omnia jura, immunitates, facultates, praerogativas, gratias, indulta & privilegia Ministro generali Ordinis Fratrum Minorum beati Francisci, qui Cappuccini appellantur, competentia in conferendo eodem scapulari & cingulo Tertiariis sibi subiectis, quae omnia ei olim fuerint adjudicata, ejusdemque Clementis Papa XI. litteris confirmata, quarum tenor talis est:

CLEMENS PAPA XI.

ad futuram rei memoriam.

Manarunt nuper à Congregatione venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium praeposita, ad favorem dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci, Cappuccinatorum nuncupatorum, Regni Sardiniae, tria decreta, videlicet.

1. In casibus, vertente inter Patres Minores Cappuccinos Regni Sardiniae ex una, & Patres Minores de observantia ejusdem Regni, seu &c. partibus, ex altera, de & super infra scripto dubio, nempe, an Patribus Cappuccinis Regni Sardiniae liceat dispensare, seu distribuere habitum seu scapulare parvum cum cingulo Sancti Francisci secularibus utriusque sexus in propriis domibus, & sub jurisdictione ordinarii viventibus, qui denominantur Tertiarii, seu tertii ordinis eosque dirigere in spiritualibus juxta regulas dicti tertii ordinis in propriis Ecclesiis, in casu &c.

2. Sacra Congregatio Eminentissimorum & Reverendis. S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & regularium praeposita

ANNO 1726. Cappucinatorum male de-torta.

III. Congregationis consultationis de rebus Episcoporum & Regularium praeposita decreta pro Tertiariis Cappucinatorum, confirmata à Clemente XI. Pont. Max.

IV. Litterae Clementis XI. pro Tertiariis Cappucinatorum.

postea